

72  
 fieri posse motum curvilineum quacun-  
 que sit vis centripetæ directio; igitur cur-  
 vilineus planetarum motus vim aliquam centri-  
 petam, & proinde attractionem demonstrant.  
 Instans 1. Ex illa mutua attractione se-  
 queretur universi systematis planetarii con-  
 fusio, si enim planetae se mutuo attrahant,  
 progressu temporis in se mutuo præcipites  
 ruere debent atque tandem in eandem cum  
 sole massam coalescere. Ergo &c.

Resp. Neg. Ant. cujus probatio tota fa-  
 cile evanescit, si attendamus planetas dua-  
 bus viribus urgeri, una secundum directio-  
 nem tangentis, altera autem centripetæ.  
 Et quidem sine virium illarum compositio-  
 ne nullum orbem curvilineum describi pos-  
 se sæpius demonstravimus. Et certe sola vi  
 centripetæ in se mutuo ruerent corpora o-  
 mnia, atque in rudem indigestamque mo-  
 lem tandem rediret totus hujus universi or-  
 do. At omnipotenti divinaque manu ita in-  
 ter se temperati fuerunt caelestes motus,  
 ut planetae in orbibus suis circa solem cer-  
 ta & admiranda lege regantur atque reti-  
 neantur.

Instans 2. Stellæ fixæ eandem perpetuo  
 a se invicem distantiam servant, suisque lo-  
 cis immotæ manent; his ergo nullus im-  
 pressus est motus, ac proinde sola remane-  
 ret vis centripetæ, qua stellæ fixæ, & in  
 unum tandem coirent globum. Itaque sic  
 argumentari licet: Universam Mundi com-  
 pagem perturbaret attractio illa qua stellæ  
 fixæ in se mutuo tendunt atque in unam  
 tandem coalescerent massam; atqui &c. Er-  
 go &c.

Resp.